

Longus præteritis tenuit nos error ab annis,
Sufficiat meritis hæc rogo pœna meis.
Vita brevis superest, in mortem et pronior ætas :
Jam peccare senex nequeo, nolo tuus.

V.

(a) VERSUS EJUSDEM.

Ubi ossa S. Cypriani Lugduni condita habentur

Hæc locuples Christi thesaurus conditur arca,
Purior argento, fulvo pretiosior auro,
Clarius et cuncta gemmarum luce micantum.
Hic nempe insigni doctor suavissimus ore,
Eximius præsul, martyr celeberrimus idem,
Lucifer ut nitidus magna Carthagine missus
Emicat, et pulchra Cyprianus sorte quiescit.
Additur huic geminum radianti lumine sidus,
Speratus martyr cum martyre Pantaleone,
Cujus cum capite hic pollent sacra ossa priorum.
Quos pariter Carolo Francorum principe gaudens
Gallia suscepit, Libycis ditata talentis.
Hos igitur nobis oratio fida patronos
Efficiat, Christo ut cœlis veniente coruscis,
Martyribusque suis diademata clara ferente,
Ipsorum meritis lux nos æterna receptet.

VI.

(b) TITULUS ABSIDÆ.

Martyribus subter venerabilis emicat aula :
Martyribus supra Christus rex præsidet altus.
Circumstant miris animalia mystica formis,
Nocte dieque hymnis trinum inclamantia numen.
Adstat apostolicus pariter chorus ore corusco,
Cum Christo adveniet certo qui tempore iudex.
Vivaque Hierusales, agno illustrante refulgens,
Quatuor uno agitat paradisi flumina fonte.
Pignoribus sacris clerus Baptista Joannes
Altare illustrat, poscentia pectora purgat.

MARTENII ADMONITIO

DE

CARMINIBUS PROXIME SEQUENTIBUS.

Quæ hic damus carmina ex pervetusto codice Bigotiano eruimus, cujus character ad auctoris ætatem accedere videtur. Hæc autem tametsi tanti non sint momenti, minime tamen sunt spernenda, præcipue autem epigramma in librum Homiliarum totius anni, ex quo didicimus quam pauca tum sanctorum festa celebrarentur, aut proprium haberent officium. Nam præter festa SS. Stephani, Joannis evangelistæ, Innocentium, Joannis Baptistæ, Petri et Pauli, Machabæorum et Andreæ, qui locum in Homiliarum libro habebant, si qua forte occurrebant, extra communium classem officium non habebant.

I.

IN EVANGELIUM MATTHÆI.

Primus evangelici scripsit mysteria regni
Matthæus ex telonio ad cœli lucra vocatus.

(a) De translatione reliquiarum sancti Cypriani et aliorum in ecclesiam Lugdunensem tempore Caroli Magni, legendi versus Agobardi præsulis Lugdunensis, et Chronicon Adonis Viennensis

(b) Hic describitur altaris priscus apparatus in ec-

A Hæc canat almus amor, hæc dulci voce resultat.
Nascitur in Bethleem sancta de Virgine Christus,
Advenere Magi cœlesti sidere ducti.
Joseph cum puero Ægyptum migrare jubetur.
Cæduntur pueri regis livore cruenti.
Jesus ab Ægypto Nazareth revocatur in urbem.
Joannes populos tingit Jordanis in undis.
Suscipit et Christus humilis baptismum Joannis.
Inde quater denis jejunans ipse diebus.
Tentatus zabulli vincit molimina diri.

Piscantes Petrum, Andræam, Jacobum atque
[Joannem

Evocat. Illi almis parent mox sedule jussis :
Retibus abjectis, et navi et patre relictis.

B His ille assumptis Galilæam circuit omnem,
Ac varios hominum languores curat ubique,
Discipulos mandata docet, dat jura beatis.
Sanguinis effusi vitandam admonet iram.
Munera grata Deo, fraternam reddere pacem,
Mœchiam cordis fugiendam pectore casto.

Scandala si generent oculi qui more coluntur
Sive manus dextræ pulsati procul ire jubentur,
Semper nexa viro nisi constet adultera conjux.

Juramenta vetat, quia sunt perjuria juxta :
Est et Non statuit veraci voce tenendum.
Altera cædenti detur maxilla libenter.

Et pius almus amor inimicos diligit ipsos,
Ut pietatis opus sine læva dextera reddat,
Utque placere Patri cupiat oratio soli.

C Ut mens munda Deo jejunia læta frequentet,
Nec facie tristi laudem petat illa caducam,
Thesaurum cœlo condendum fur ubi nullus.
Corporis est oculus operis intentio simplex.
Hæc si pura viget, totos illuminat artus,
Nec tenebrosa flent, quæ lucis amore geruntur.
Nullum posse æque dominis servire duobus,
Nec mamonæ atque Deo divisa mente placere ;
Pellendas animo curas et vestis et escæ.

Si volucres cœli pascit opulentia Patris,
Molliaque auleolo depingit lilia flore,
Quando suis unquam natis pia dona negabit ?

Quapropter sua cuique satis sit cura diei,
Crastina non crucient, quia sunt incerta caducis.
Justitia est quærenda Dei, reliqua ultro dabuntur.

D Occulta alterius damnet se iudice nemo,
Ex oculo fratris festucam educere quærens,
Ipse prius proprio pellat de lumine tignum.
Ira vetusta trahit, levior festuca notatur.
Purget ab ira animum qui vult pietate mederi.
Nempe odio extinctus nil rectum cernit ocellus.

Ne margaritam calcandam exponere porcis
Quis velit, aut sanctum canibus dare dilacerandum.
Mitibus et mundis prosunt mysteria pacis.

Postulet alma fides, ut possit sumere dona.
Quærat amor sitiens, ut mox optata reportet,

clesiæ absida existentis, ita ut martyrum reliquiæ
sub altare collocarentur, Christi e cruce pendentis
effigie superius erecta, pendente in vasculo Eu-
charistiæ, sanctorum imaginibus circum appo-
sitis.

Pulset opus studiumque pium, tum clausa patebunt. A

Vitandi semper falsi exsecrandique prophetæ,
Quos sub pelle ovium rabies agit atra luporum;
Sacramenta ferunt fidei, sed funere vivunt.

Ædificanda domus veræ fundamine petræ:
Dum procul omnis humus fundo purgatur ab imo,
Ac pietate proba Christi mandata geruntur,

Vitandum prorsus fluxæ fundamen arenæ,
Ne leviter positam sub intus ruat impetus ædem,
Sic immota imbres, ventos, et flumina temnet.

Caligosi imbres errorum nube pluuntur,
Venti alternantes adversa et prospera mundi.
Repit humo ut fluvius carnis lutulenta voluptas.

Jesus item mundat descendens monte leprosum,
Si vis, ille inquit, potes et mihi ferre medelam.
Ille, volo, ut dixit, fugit illico lurida pestis.

Paralysi fessum, puerum quoque centurionis,
Et socrum Petri lethali febre jacentem,
Atque alios plures salvat virtute potenti.

Fallacem scribam reprobat, nec prorsus habere
Quo ponat recline caput sese asserit usquam.
Vulpibus hunc [f. hinc] foveam dicens magis esse

Ast alium functi neglecto corpore patris [dolosis].
Se jubet ipse sequi, et morituris mortua linqui.
Imperitat ventis, jussu maris æquora sedat.

Dæmonicam humano legionem corpore pellit,
Et maris hanc tetras cum porcis mergit in undas.
Paralysi ereptum mandat sibi ferre grabatum.

Matthæum vocat, et mundi dat spernere lucra,
Ac propriæ dignans publicanos jungere mensæ,
Ægrotos medico potius testatur egere.

Jejunii veri commendans mystice culmen,
Discipulis sacri zelantibus ecce Joannis
Parabolam panni, vini, utriusque reponit.

Fessa cruore diu mulier sine lege fluenti
Attactu sacræ vestis purgata recedit.
Redditur et vitæ jam funere juncta puella.

Mox amissa diu redduntur lumina cæcis.
Dænonium mutum surdumque expellit Jesus.
Lumen apostolicum populis jubet ire docendis.

Petrus et Andræas, Jacobus simul, atque Joannes,
Bartholomæus, Thomas, Matthæus, pariterque Phi-
[lippus,

Alfæi Jacobus, Thaddæus, Simon et Iscariotes.

Hi sunt quos misit verbum reboare salutis,
Curare infirmos, et pellere dæmones atros.
Et tamen ex ipsis periit, quia prodidit, unus.

Dirigit ad Christum Joannes carcere clausus,
Increpat ille urbes, quæ tot miranda videntes,
Duritia immani non pœnituisse dolentes.

Exsultans Jesus Patris mysteria laudat,
Atque suum lene esse jugum clementius inquit.
Discipuli spicas solventes sabbata vellunt.

Arentem dextram concessa robore sanat.
Dæmonio ejecto, cæcum mutumque resalvat.
Quod satanas nequeat satanam depellere monstrat.

Tentanti turbæ signum promittit Ionæ.

Esse sibi matres, vel fratres, atque sorores,
Hos tantum agnoscit, qui Patris jussa sequuntur.

Parabolas plures vario sermone profatur,
Secreta eructans absconsa ab arigine mundi,
Vatis et antiqui complens sacro ordine dicta.

Agricolam ponit triplici qui fruge redundans,
Tricenum ex cultis fructum percepit ab agris.
Sexageno etiam centenum accrescere gaudens.

De lolio mundæ segeti quod sparserat hostis,
De grano minimi late crescente sinapis,
De fermento etiam quo vim trahit undique massa.

Discipulis lolii segetisque ænigmata solvit,
Parabolam subdit thesaurisare latentis,
Margaritæ etiam pretiosa luce micantis.

Et missi in pelagus retis genus omne natantum
Quod trahit ad littus, ubi fit discretio solers,
Vasa bonos capiunt, diversos projicit usus.

Cæditur Herodis jussu Baptista Joannes,
Et caput in disco scelerata ad gaudia fertur.
Discipuli adveniunt, condunt pia membra sepulcro.

Millia quinque virum de panum quinque paratu
Piscibus et geminis, Christi virtute replentur.
Bis cofinos etiam cumularunt fragmina senos.

Jesus per fluctus graditur, maris æquora calent,
Mergentem Petrum placida dat sistere dextra.
Gennesar in populis multorum incommoda curat.

De manuum lavacro pharisæus murmurat error.
Ille docet cordis verum interiusque lavacrum.
Obtinuit natæ mulier Cananæa salutem.

Monte Galilææ miserorum examina curat.
Quatuor ex septem mox millia panibus implet.

C Fermentum, Pharisæe, tuum docet esse cavendum.

Clarificat Christum felix confessio Petri,
Accipit et claves regni cælestis ab ipso.

Præcipit ille crucem præprium cuique ille ferendam.
Testatur quosdam duram non cernere mortem,
Donec in proprio Christum fulgescere regno
Felici intuitu videant, cœlique pavescant.

Discipulis in monte tribus se protinus ipse
Cælestis formæ vestitum lumine monstrat:
Cui simul Heliam Moysenque assistere cernunt.

Confestim trepidos circumdat lucida nubes,
Et vox clara Patris testantis ab æthere venit:
Filius hic meus est, hujus præcepta tenete.

His etiam Heliam post hæc in monte, revertens
Jam venissæ canit, nec hunc tamen esse receptum,
His illi in verbis justum sensere Joannem.

D Mox puerum curat, fugit hinc lunatica pestis.
Vivacem fidem similem vult esse sinapi.
Solvit cæsareum piscis ex ore tributum.

Ad pueri formam humiles jubet esse fideles.
Scandalizantem oculum propria vult sede revelli.
Id pedis atque manus etiam discrimine monstrat.

Nec minimos unquam temnendos esse fideles,
Pro quibus angelicæ invigilat custodia curæ.
Nam saxo oppressus lædens mergitur abyso.

Ignoscendum omni clementi pectore fratri,
Ut Deus ignoscat, nec duris dura rependat.
Conjugii vinculum servandum jure fideli.

Heunuchos laudat, qui cœli regnat requirunt,
Diligunt innocuos pueros, benedicit eisdem,
Divitibus dure reserari limina vitæ.

Centuplicem fructum capient qui cuncta relin-
Parabolam profert varie vineta colentum, [quent.
Qua docet extremos fieri plerumque priores.

Zebedei natis avidis ad culmen honoris
Ante calix tristis proponitur esse bibendus.
Præteriens Dominus geminis dat lumina cæcis.

Ducitur ad Jesum pullus cum matre sedendus,
Mercantes templo pellit, Patris expiat aulam.
Gaudentes pueri pie Christo Osanna resultant.

Frondosam ficum, fructu quia forte carebat,
Jussit, et extemplo damnata exaruit arbor :
Fructiferos quia Christus amat, sine fructibus odit.

Pontifices rogitant unde illi tanta potestas,
Sed confusi abeunt testantis voce Joannis,
Nec verum falsi nec vera audire merentes.

Parabolam subdit natorum forte duorum,
Qui patris imperiis diversa sorte resistunt.
Ac scribis præfert meretrices jure superbis.

Tradita ruricolis rursum vineta feruntur,
Qui ad sese missos crudeli morte necarunt,
Postremo et Domini perimentes impie natum.

Parabola invitans ad regis prandia plures,
Quos quia tempserunt, mox ultio digna secuta est.
Veste carens digna mersatur et ipse tenebris.

Ut divina Deo reddantur, regia regi,
Quod venturo ævo carnis connubia cessent,
Quod Christus David Dominus et Filius exstet.

In cathedra Moisi legis residere peritos,
Horum dicta sequi, vitari exempla jubentur.
Increpat hos Christus, quod perdant quique lucran-

Quod jusjurandum violent, quod maxime sanctum
Quod calicem excolent, studeant glutire camelum.
Sectantes minima, temnentes maxima legis.

Quod calicem et cyathum exterius mundare labo-
Nec labem interius latitantem extergere curent,
Cum foris atque intus hominis sit conditor unus.

Ingemit hos similes albatis calce sepulcris,
Quæ speciosa foris, horrenda intrinsecus exstant :
Sana nitent oculis, sunt omnia tetra latebris.

Splendida qui sanctis condunt monumenta pro-
Nihilque ex hoc aliud nisi sanguinis esse probentur
Hæredes vatum, in Dominum quia credere nollent.

Jerusalem plangit, templum se linquere dicit,
Omnia et in cineres subito lapsura minatur,
Hisque suos vultus post hac negat esse videndos.

Extremos quæ signa dies præcurrere constet
Exsequitur, falsos meminit exsurgere Christos
Et falsos vates, erroribus omnia plena.

Adventus proprii terrorem et tempora pandit,
Decidere stellas, tota astra nigrescere cœli.
Exemplis vigilare monet, furemque cavendum.

A Lumina virgineis ne sint maccentia vasis.
Sed potius pingui semper foveantur olivo :
Sumpta talenta piis usuris crescere mandat.

Judicii in solio cum sederit ille tremendo,
A dextris stare infit oves, hædosque sinistris :
Hos ire in flammam, illos ad pascua vitæ.

Pontifices Dominum quærunt occidere Christum,
Unguento felix mulier perfundit Jesum.
Ut Christum prodat Judas dona irrita quærit.

Hunc Dominus cœnans designat voce gementi
Corporis ipse sui sanctis mysteria tradit.
Prædicat Petro quod se ter nocte negaret.

Orat ut instantis calicis pertranseat hora :
Sed magis ut Patris fiat præfixa voluntas.
Oscula dat Judas tradendi signa magistri.

B Consilio insano falsos producere testes
In Christum placuit ; mendax sibi lingua repugnat.
Damnatus probris illudatur undique Jesus.

Abnegat hunc Petrus, lacrymis mox plangit amaris
Vinctus Pilato perimendus traditur ipse.
Emerunt figuli pretio de sanguinis agrum.

Pilatus populo permittit perdere Christum ;
Passio sacra pii completur in ordine Jesu.
Mox elementa tremunt, scindit sua pallia templum

Ille subit mortem ; Procul, ait, tartare ; victor
E tumulo surgit ; clara virtute refulget.
Discipulis mandata dedit, baptismum sacravit.

Cui laus et virtus, cui gloria summa per ævum
Sit cum Patre Deo cœlesti in sede beato,
Spiritui sancto consors, et sidera clament.

Amen.

C

II.

GESTA CHRISTI DOMINI.

Innocui pueri, Christo benedicite Regi.
Sit Domini celsum benedictum in sæcula nomen.
Solis ad occasum dulcis sonet hymnus ab ortu.

Cantemus Domino, magna est cui gloria Christo,
Qui solus virtute sua sessoris iniqui
Stravit equum, victosque simul submersit abysso.

Ecce Deus mira Salvator luce coruscat,
Ipse salus nobis, ipse est in sæcula virtus.
Confidat devota fides, timor omnis abesto.

Libemus dulces Jesu de fontibus undas,
Gestaque magnifici reboemus in ordine Christi.
Hæc polus, hæc tellus, hæc ponti personet æquor.

Quatuor hæc uno cecinerunt ore beati.
D Quatuor exsurgunt paradisi flumina fonte,
Quæ cunctum largo fecundant gurgite mundum.

Hic igitur paradisi adest, hic arbore vitæ
Aurea carpuntur florenti vertice mala.
Dirus abest anguis, exuberat alma voluptas.

Zachariæ sancto sacris incensa ferenti
Angelus assistit, promittit gaudia nati,
Qui Domino Christo populorum corda pararet.

Mittitur ad Mariam Gabriel sacer ore corusco.
Nuntiat intacta venturum Virgine Christum,
Cui regnum æternum, cui gloria fulget in ævum.

Zachariæ uxorem Virgo veneranda salutat.
Protinus exsultat materno in ventre Joannes,

Et quem voce nequit, promit per gaudia Christum.
Mox etiam matrem complevit Spiritus almus.
Exclamat Domini presentem assistere matrem
Illa Dei laudes pudibundo concinit ore.

Joannes oritur, genitoris lingua profatur.
Ipse etiam in silvis vitam puer exigit almam.
Donec ad Israel certo se tempore monstrat.

Nascitur in Bethleem sancta de Virgine Christus.
Pastores vigilant, affatur et angelus illos,
Ac regem natum cœli cecinere catervæ.

Suscipit ipse humilis veteris mysteria legis,
Sanctificatque pium patrum pio tempore ritum,
Sic priscis finem statuit, nova surgere fecit.

Accipit hunc lætis Simeon sanctissimus ulnis,
Dumque Deo offertur, dum dat pia munera templo
Hunc Dominum lucis, hunc fert regem esse salutis.

Anna etiam devota Deo, viduata marito.
Jam longæva annis, jam religione vetusta,
Agnoscit, gratesque refert, populisque prophetat.

Ecce Magi adveniunt imis Orientis ab oris.
Se stellam vidisse ferunt, quæ nuntia Regis
Clareat, et Christum jubeat venerarier ortum

Pergunt sidereo læti radiante ducatu,
Inveniunt puerum, proni reverenter adorant,
Munera dant alacres, Christum hunc pietate fatentur.

Angelico monitu Ægyptum transfertur Iesus.
Cœduntur pueri regis livore cruenti.

Protinus hunc diræ sequitur sors debita mortis.

Rursus ab Ægypto Nazareth defertur Iesus,
Unde Nazaræi sumpsit cognomen in ævum,
Ut pridem veterem cecinit vox consona vatum.

Prævious hunc magno, reboans clamore Joannes,
Austerus victu, suetoso hirsutus amictu,
Gurgite Jordanis credentum membra lavabat.

Judæi proceres Christum hunc esse putantes,
Attoniti veniunt, quem se velit ille requirunt.
Præconem Christi se supplice voce fatetur.

Agnum hunc esse Dei, hunc crimina tollere mundi
Clamitat, hunc prona cunctis pietate sequendum
Prædicat, et digito presentem assistere monstrat.

Ipse etiam sacro dignatus flumine tingui
Jesus adest, humilemque viam sic dedicat altus.
Sanctificat latices, exemplum consecrat ingens.

Panduntur cœli, mox Spiritus ore columbæ
Devolat, et placido mitis requiescit Iesus.

Ipse Pater carum conclamat ab æthere Natum.
Protinus hunc eremi rapit in secreta benignus
Spiritus, et zabuli tentandum affatibus offert.
Vincit vincendum prece jejunisque tyrannum.

Ille superba monens, in panes vertere saxa
Suggest, summo delapsam culmine Christum
Angelicæ sperare manus, seu regna tenere.

Ille suis humilem monstrans insistere callem,
Præceptis obedire Dei super omnia præfert.
Sic victor zabuli angelicis dat jussa ministris.

Regressus mira in populis virtute coruscat.
Vertit aquas vino, pandit Deitatis honorem.

Discipuli credunt, Dominumque Deumque sequun-
Paschalis festi lætanter gaudia templo [tur.

A Millia mercantum modico fugat ille flagello.
Mirantur populi, multorum pectora credunt.

Prædicat propriæ carnis venerabile templum
Solvendum manibus suscepta in morte cruentis,
Seque illud trinis spondet reparare diebus.

Mystica Nicodemo baptismi munera pandit,
Credentum populos proprio baptismate tinguit.
Undique concurrunt, vitalia dona frequentant.

Exsultat Baptista sacer ac provocat omnes.
Nam Christum sponsum, se sponsi dicit amicum
Illum crescere, se minui debere fatetur.

Filius ille Dei est, inquit, qui credit iu illum,
Possidet æternam felix per sæcula vitam.
Qui negat, ira Dei super ipsum regnat in ævum.

Interea Herodem connubia fœda petentem
Objurgat, mortemque pati quam vera silere
Eligit, hinc cæco damnatur carcere justus.

Tum Galilæorum in partes secedit Iesus.
Absolvit reguli mortis de limine prolem,
Atque Capharnææ versatur monibus urbis.

Æquoreis undis piscantia lina ferentes
Audræam Petrumque vocat, Jacobum atque Joan-
[nem.

Omnia mox relinquunt, Domini pia jussa sequuntur.

III.

IN EVANGELIUM JOANNIS.

Dulci Evangelium cantemus voce Joannis,
Et Domini clara moduletur in ordine gesta.

Sit nobis jucundus amor, sint gaudia sancta

Verbum Unigenitum semper cum Patre manebat.

C Hic lux, sic virtus, hic est sapientia Patris,
Vita hominum, angelicis lucens super æthera turmis,

Per hunc ipse Pater et mundum et sæcula fecit,
Omnia constituit quæ sunt a vertice cœli
Usque sub extremum fundum nigrantis abyssi.

Clarior hic stellis, sole est speciosior ipso,
Omni luce prior, quam nox offuscat et umbra.
Hic tenebras vincit, mediisque refulget in umbris.

Venit homo eximius clara virtute Joannes,
Cœlitus, ut testis fieret de lumine, missus.
Non lux ille fuit, sed lucis præco refulsit.

Lux vera ille aderat, hominumque pectora lustrat.
Illa inde aversos animos mersosque tenebris
Sponte sua irradiat, dignata invisere mundum.

Ipse in mundo aderat, et mundum fecerat ipse :

D Nec tamen hunc cæco cognovit pectore mundus.
In propria venit, proprii hunc sprevere superbi :

Quique autem illius credentes nomine sacro
Mente receperunt humili et pietate fideli,
Hos dedit esse Deo claros in sæcula natos,

Quos non sanguinibus genitos, non carne creatos
Nec prorsus ulla illecebra generante virili
Divinam in prolem divinus Spiritus edit.

Verbum etiam Patris caro factum habitavit in illo,
Naturæ nostræ mortali corpore clemens,
Ut nos ad vitam posset revocare perennem.

Hinc oculis mentis nova lux exorta refulsit :
Claruit hinc ejus sublimis gloria nobis,

Ut Patris unigenum possemus noscere natum.
 Qui plenus veritate cluit, cui gratia summa est.
 Nam verus cum Patre Deus mortalia nostra
 Dignanter sumpsit, nec propria relinquere novit.
 Hunc testis verax clamat, dixitque Joannes :
 Post me vir veniet, quem me majora docebunt,
 Me prior ille fuit, mihi sit prælatus oportet.
 Illius æterno cuncti de fonte rigamur.
 Per Moysen terrens præmissa est littera legis,
 Per Christum indulgens aderit modo Gratia Jesum.
 Nemo Dei faciem mortalis conspicit unquam.
 Unicus hunc solus novit qui permanet alto
 In gremio Patris. Hic dignis digna revelat.
 In hunc sidereæ vultu radiante columbæ
 Spiritus adveniens æterna sede quievit :
 Filius iste Dei est, hujus mihi gloria claret.
 Talia dum populis loquitur, dum talia clamat,
 Ecce sacerdotes Solymis venere rogantes,
 An Christum sese credi velit ipse Joannes.
 Protinus ille negans : Non sum quem creditis, in-
 quit.
 Vox ego clamantis, præsentem nuntio Christum,
 Cujus ego non sum caligam contingere dignus.
 Vidit item Christum coram transire Joannes,
 Agnus, ait, ecce Dei qui tollit crimina mundi.
 Discipuli astabant gemini, Jesumque sequuntur.
 Ex his Andreas frater Petri exstitit unus.
 Repperit hic fratrem, Messiam invenimus, inquit.
 Ad Christum veniunt, mox Christi dona reportant.
 Eligit ipse viros dignos, vocat ipse Philippum,
 Nuntiat ille pio mox gaudens Nathanaeli
 Quem Lex et sacri Christum cecinere prophetæ.
 Nathanael properat, ille hunc ubi vidit adesse,
 Israelita ecce verus huc advenit, inquit,
 Cui nullus, sub corde dolus, cui pectora pura.
 Hunc procul absentem flous sub tegmine vidi.
 Cum super positus frondosa staret in umbra.
 Necdum illifidus dederat pia verba Philippus,
 Ille admiratus celsi præsentia Christi :
 Vere, ait, ecce Dei sublimis Filius hic est.
 Iste Israelis Rex est per sæcula verus.
 Credenti Christus spondet majora videnda.
 Cernentis, inquit, roserari culmina cœli,
 Angelicos choros famulari in sæcula Christo.
 Cujusdam ad thalamos sancta cum matre vocatus,
 In vinum subito naturam vertit aquarum.
 Discipuli credunt, divina et facta pavescunt
 Ejicit ex sacro mercantum millia templo.
 Solvendam propriæ carnis denuntiat aulam,
 Cœlesti signo in triduo quam suscitaret ipse.
 Mystica Nicodemo baptismi munera pandit,
 Abluit ipse suo tinguens baptismate turbas.
 Concurrunt alacres, capiunt pia dona salutis.
 Hæc ubi cognovit, sanctus Baptista Joannes,
 Impleta declamat sua gaudia, provocat omnes :
 Se minui gaudet, illum succrescere gessit.
 Samariæ ad puteum mulieri mystica fatur.
 Pandit aquam vitæ, Christum sese esse fatetur.
 Agnoscunt cives mundi advenisse salutem.

A In patria propria dicit sine honore prophetam,
 Et reguli prolem mortis ex fauce reducit.
 Sermone absentem vitæ de funere reddens.
 Paralyti antiqua jam pene in morte jacentem.
 Bethsaidæ in Solymis piscinæ erexit ad undas.
 Exsilit æger ovans, proprium gerit ipse grabatum,
 Judæis loquitur mysteria plurima vitæ :
 Se simul et Patrem æque facere omnia dicit.
 Qui Moysi credunt, prorsus sibi credere firmat.
 Millia quinque virum quinis de panibus ille
 Piscibus et geminis mira virtute refecit.
 Fragmina bis senos cophinos ablata replerunt.
 Attoniti hinc populi quærent sibi ponere Regem :
 Ille fugit, montem petiit, hic solus adorat.
 Non capiunt Christum regni mortalis honores
B Discipuli in pelago vento obsistente laborant :
 Christus adest placidus gradiens in fluctibus atris,
 Navicula optatum tenuit mox libera portum.
 Alloquitur populos veteris de munere mannae :
 Se panem vivum cœli venisse fatetur,
 Quem quicumque capit, mortem non sentit in ævum.
 Discipuli plures ex hoc sermone recedunt.
 Petrum cum sociis Christo gaudenter adheret,
 E quibus ille unum zabuli sub nomine damnat.
 Festa dies aderat quæ sunt umbracula jussa.
 Ille docet populos, promittit flumina vitæ
 Spiritus ille Dei, quem dat credentibus, hæc sunt.
 De Christo exoritur contentio magna superbis.
 Nicodemum exagitant, urgent sine jure ministros.
 Simplicibus turbis maledicunt ore protervo.
 Ad Dominum mulier defertur adultera Christum.
C Hanc ille in miseros larga pietate redundans,
 Judicio mortis pariter et crimine solvit.
 Hinc lucem mundi claro se prædicat ore :
 Effugient mortis tenebras quicumque sequuntur :
 Lux illis vitæ totum fulgebit in ævum.
 Principium Christus se prædicatori sereno,
 Quod loquitur puris infulgens mentibus intus.
 Omnis qui peccat, peccati servus habetur.
 Mendacii tetrum zabulum docet esse parentem,
 Hic necis humanæ ferus exstitit auctor ab ævo,
 Nec stetit infelix in vero lumine fallax.
 Ante Abraham Christus semper sese esse fatetur.
 Ille alacri Christum cupiebat cernere voto.
 Vidit et exultans, felici est mente gavisus.
 Cæci nati oculos sputo limoque salubri
D Illinit, et Siloe puris illuminat undis :
 Cæcum hominem irradiat, quoniam baptismas salutis.
 Electis ovibus quod sit pia janua monstrat.
 Per hunc intrantes pergunt ad pascua vitæ.
 Hujus sanguis oves æterna a morte redemit.
 Dum graditur templi speciosa per atria Jesus
 Judæis populis quis sit quærentibus ipse,
 Clara voce Patrem seseque unum esse fatetur.
 Quarta dies Lazarum monumenti clauserat antro,
 Astabant tristi plorantes voce sorores :
 Turba ingens aderat solatia mœsta ferentum.
 Allevat ille oculos, Patri dat munera laudis,
 Defunctum inclamat, prodit mox ille sepulcro :

Nexibus exiit, et dulcia tecta revisit.

Unguento Jesum perfundit sacra Maria :
Jucundo impletur late domus omnis odore,
Ut redolet toto felix Ecclesia mundo.

Rex mitis placido Jesus concedit asello.
Palmigeris turbæ manibus dant cantica laudum.
Sic Solymam ingreditur, adit et pia mœnia templi :

Gentiles clarum quærebant cernere Jesum.
Frumenti granum dicit se protinus ille,
Quod terræ immoriens multa cum fruge resurgit.

Oranti vox clara Patris repondit ab astris :
Clarificavi, inquit, te, nate, et glorificabo.
Expavit populus divinæ vocis honorem.

Multi e principibus magnalia tanta videntes,
Pectore credebant, metuebant ore fateri,
Non divina illos, sed mundi gloria traxit,

Abluit ille pedes veneranda in nocte suorum.
Pelvi infundit aquas, tergentia lintea gestat.
Q quanta humilitas ! quanta est clementia Christi.

Designat Judam buccella panis iniquum.
Ter sese a Petro prænuntiat esse negandum.
Discipulis propriis signum præscribit amoris.

Inde suos nosci voluit si pectora fratrum
Alternata charitate sibi connexa vigerent,
Quali nos primus dilexit cœlitus ipse.

Se docet in Patre et Patrem venerari in se.
Majestas una est, et gloria compar utrique.
Quidquid agit genitus, totum est operatio Patris.

Paraclitum spondet se mittere protinus illi
Cum mox e tumulo devicta morte resurgens,
Inclutus ascendens penetraverit ardua cœli.

Se vitem veram loquitur, propriosque fideles
Palmitibus similes in se monet ille manere,
Ne jaceant steriles, jugi tradantur et igni.

Discipulos clemens Patri commendat Iesus,
Traditur a Juda, Pilato addicitur insons.
Verberibus cæsus populo datur ipse necandus.

Exiit ipse crucem sibimet mitissime portans.
Passio gustato Christi completur aceto.
Mandatur tumulo, destructa morte resurgit.

Ad tumulum Maria lacrymas fundebat amoris,
Sublatum insidiis corpus credebat Iesu.
Ille repente micat, dat huic mandata salutis.

E tumulo sacræ redeunt gaudento sodales :
His cursu in medio fulgens occurrit Iesus :
Dat clementer Ave, pedibus illæ oscula figunt.

Flebat amare nimis Christi Petrus ille negati
Crimen, huic clemens apparet protinus ille,
Solatur mœstum, trepidantis pectora firmat.

Ibant forte duo castellum invisere quoddam :
His subito in habitu peregrini occurrit Iesus :
Tecta rogatus adit, pandit se in fragmine panis.

Discipuli clauso residebant forte timentes
Conclavi, his subito radians assistit Iesus.
Agnoscunt Dominum, clavorum signa recensent.

Thomas defuerat, cum se Deus ille magister
Monstrarat sociis, lateris pia vulnera pandens :
Christus adest iterum, Dominum ille Deumque
[fatetur.

A Cum sociis Petrus piscans nil ceperat undis.
Littore stat Christus, jactari retia mandat,
Fit captura ingens, clarus convescitur illis.

Monte Calilææ, sicut promiserat ipse,
Clarificum sancti Jesum reverenter adorant,
In cœlo et terris dicit sibi subdita cuncta.

Ultima discipulis jungens convivium sacris,
Mandat Evangelium per hos toto orbe coruscet,
Credentesque omnes sancto baptismo tingui.

Montis Oliveti petiit mox ille cacumen.
Assistunt sancti, benedicit cœlitus illis,
Sideream penetrans ipsis cernentibus aulam.

A dextris sedet ille Dei, virtutibus ipsam
Celsior angelicis, venturus et inde coruscus,
Judicet æternis ut totum legibus orbem.

B Hunc cœlum et tellus, hunc tartarus ipse profundus,
Cunctorum Dominum, cum Patre in sæcla potentem
Ac Spiritu sancto laudet, huic sidera clament.
Amen.

IV.

ORATIO

*Cum commemoratione antiquorum miraculorum
Christi Dei nostri.*

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
Principium rerum, per quam Pater omnia fecit.
Cum Flatu æterno super æquora vasta cubante,
Tu pressus quondam tenebris horrentibus undas
Luce nova irradians, noctemque diemque creasti.
Ut varios hominum revelet lux blanda labores,
Et nocturna quies attritos recreet artus.

C Tu geminas sedes discretis fluctibus aptans,
Hos agis in pelagus, illos super astra recondis.
Arida quo posset fructum producere tellus
Hastibus et gratis animantia cuncta foveret,
Tu lunæ solisque globum, stellasque micantes,
In varias causas per culmina celsa locasti.
Tu terræ ex utero pecudes a reptile cunctum
In lucem sola procedere voce dedisti.
Tu lymphis etiam spirantia corpora condens,
Alitibus ventos, ditasti piscibus æquor.
Tu torpentis humi corpus de corpore sumptum
Vivifico sacri spiraminis erigis haustu :
Idque hominem vocitans, totum regnare per orbem
Præcipis et totius rationis legibus imples.
Quo genus in terris uno factore creatum.

D Ut genus in cœlis uno rectore regatur.

O virtus æterna Dei quam machina mundi.
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
Tu primum non passa virum consistere solum
Conjugis egregiæ solatia casta creasti,
Quam nec terra tulit, materna nec edidit alvus,
Sed tua de costa formavit dextra virili.
Tu scelus amborum punisti morte benigna,
Et serpentiam damnasti pulvere linguam,
Quæ docuit miseros contemnere jussa Tonantis,
Numinis et summi summum sibi quærere nomen.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,

Tu justi interitum, quem fratris dextra peremit,
 In pœnam auctoris justa sub lege retorques.
 Tu quemdam ex primis primi mortalibus ævi
 Ignarum mortis vitæ ad secreta tulisti.
 Cum tamen interea vitiis ferventibus omnes
 Polluerent pulchrum per mille piacula mundum.
 Tu totum validis involvens fluctibus orbem,
 Terrigenis terras viduasti, flumina ripis.
 Tu justum quemdam propria cum prole domoque
 Diluvii ex undis arca vectrice reservas,
 Ut genus in terris uno de semine surgens
 Una morte ruens, una de stirpe resurgat,
 Atque homines mundos tellus mundata foveret,
 Nec vita indigni fruerentur munere vitæ

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
 Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
 Tu tibi sublimes quærens conjungere amicos,
 Ignibus ex mediis primum sine labe vocasti,
 Qui patriæ fines et tristia regna relinquens,
 Crevit in ingentes peregrino in limite gentes.
 Nam primogenitum serva quem matre creavit,
 Bis senos generasse duces lex aurea canit,
 Posterior natu genitrix quem libera fudit,
 Suscepit geminos una de conjugate natos.
 Alter Idumæos misto de sanguine condit;
 Hebræos alter duodena ex stirpe propagat.
 Hic habuit geminas prisco de more jugales,
 Et totidem servas uxorum munere sumptas,
 E quibus antiquam gentem populumque potentem
 Protulit, et claris sua semina contulit astris.
 Cum tamen infando rursus gens impia quemdam
 Fluctibus ablutum macularet crimine mundum.
 Quem delere parans, Sodomitica mœnia flammis
 Sulphureoque igni subvertis tecta Gomorrhæ,
 Quin et finitimas miseris cum civibus urbes,
 In cinerem solvis, et gurgite deprimis alto.
 Judicio sunt poma locis quæ nata sub hisdem
 Pulchra foris vacuis intus sunt plena favillis.
 Attamen ex ipsis quemdam tua dextera justum
 Ereptum flammis scelerata eduxit ab urbe
 Quem geminæ natæ misera cum matre sequuntur,
 Et montana petunt, tanta ne in strage perirent:
 Sed nimium infelix subito percussa fragore
 Rexpexit conjux, pœnamque experta remansit,
 Hic natæ solo solæ cum patre relictæ
 Mortales periisse ratæ, sic fraudibus usæ,
 Vina seni miscent, bina et sub nocte vicissim
 Succumbunt patri, et concepto semine surgunt;
 Hinc duo gignuntur post sæva incendia fratres,
 Et mortale genus Sodomis pereuntibus augent.
 Alter Amon, alter vario cognomine Moab
 Dicitur, et geminas condunt ab origine gentes.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
 Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
 Tu justum quemdam distractum crimine fratrum
 Memphycolis præfes, atque orbem pascis egentem.
 Tu populum sanctum duro sub fasce gementem,
 Ad patrias sedes mira virtute reducis.
 Ob hanc Ægyptum quino bis verberare plectis

A E cœlo, e terris mittens portenta, vel undas
 Scindis, purpureum lymphis durantibus æquor,
 Callibus et siccis plebem deducis ovantem.
 Cui noctu dux ignis erat, præeunte columna;
 Et mediis gratis nubes dabat æstibus umbras.
 Pastum cœlestis præbebat panis, et omni
 Nocte fluens dulci complebat nectare campos.
 Quas conviva dapes cuperet, quoscunque sapes
 Appeteret, una lætus capiebat in esca.
 Potum saxa dabant, virgæ quæ mollis ad ictus
 Duritiam rumpunt, et flumina larga ministrant.
 Carnifluis opulis servit numerosa coturnix,
 Discit et exosis ultro se infundere mensis.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
 Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
 Tu sanctum tristi texisti fulmine montem,
 Et vocem horrendam sacra de nube dedisti.
 Tu vati accito legis præcepta supernæ
 Tradis, et alloquio famulum dignaris amico.
 Pontificem statuis, precibus placare Tonantem
 Qui queat, et sancto cultus procedat amictu,
 Intret et horrendos veli post claustra recessus
 Et Patris æterni solus secreta revisat.
 Interea varium turbata per agmina murmur
 Pestrepat, et densæ resonant per castra querelæ.
 Detrahitur vati, contemnitur ipse sacerdos,
 Ac nimis accenso lapidantur pene tumultu,
 Ægyptum repedare parant, vana idola fingunt
 Solemnemque diem ludis et carmine ducunt.
 Ira etiam justo tandem commota furore,
 Illicitos ausus tali sub jure coerces;

C Hos perimis flammis, et toto cœlitus igni
 Illos sulfureas erebi demergis in undas,
 Quos retinet tellus, cœli vis ignea punit;
 Quos terra absorbet, viventes inferus haurit.
 Sic natura tuos certatim devorat hostes,
 Sic scelerum vindex totus tibi militat orbis,
 Nec patitur quemquam vitales carpere flatus,
 Quem tibi non toto credentem pectore cernit.
 His tamen ex flammis tantoque ex funere bini
 Servantur juvenes fidei virtute decori:
 Quos nova progenies et nescia criminis ætas
 Ad regnum comitata fide tua præmia sumpsit,
 Nam septem gentes et regna potentia septem
 His servire jubes, et terram tradis opimam;
 Quæ rivos lactis et mellis flumina fundit,
 D Pingua quæ sacris deludant balsama ramis,
 Quam Pater ipse pio despectat lumine semper,
 Mensibus et certis cœlestibus irrigat undis.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
 Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
 Tu rapidos fluctus cohibes, et flumine sicco
 Transducis sanctam tantis cum millibus arcam:
 Tu magnam solis quondam clamoribus urbem
 Solvit in æternas populo pereunte ruinas;
 Sed meretrix quædam superat, quam vivere solam
 Præstitit alma fides: proprio cum patre domoque,
 Ac ne plura morer, tellus subjecta quiescit,
 Et possessa Dei varia sub sorte tenetur.

Judicibus regitur duodenis, quos tuus implet
 Spiritus, et miro virtutis robore firmat.
 Viribus ut magnis sævos superare leones,
 Et validos vincti possent dirumpere nexus,
 Nunc urbe inclusi, et sub noctem milite multo
 Vallati foribus raptis conscendere montes.
 Nunc tristes cuneos, et castra minacia ferro
 Sternere non gladio, sed malo vilis aselli,
 Vomere quin etiam vastas fudere catervas,
 Restitit et telis terris res apta colendis
 Sic arcent hostes, sic sceptrā potentia terrent,
 Defenduntque suam fidei munimine gentem.
 Ac patrias leges divinaque jura quietis
 Exercent populis meritisque et honore verendi
 Idem armis prompti, devoti legibus idem,
 Idem odio externis, affectu civibus idem,
 Fraus aberat fallax, languebat victa cupido,
 Justitiæ virtus ipsa inter bella vigebat.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
 Suscipit auctorem, cui servit terra polusque;
 Tu puerum sanctum sacro chrismate tinctum
 Pastorum ex numero regem facis esse tremendum.
 Iste gigantæas pulsantes sidera moles
 Nunc saxo, nunc ense potens sub tartara misit,
 Et quos nulla prius poterant subvertere bella,
 Unius hos pueri contrivit, te duce, dextra,
 Conservansque tuos; alienosque undique perdens,
 Abramidum miro rexit moderamine gentem.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
 Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
 Tu pia cœlesti perfundis pectora flatu,
 Et ventura modis prædicis in ordine miris,
 Virgineo partum ex utero, rerumque salutem
 Spondes, et mœstis uberrima gaudia terris.
 Talia divinis arent oracula signis,
 Præsentemque fidem rebus dant cuncta futuris.
 Et nunc prærapido sol concitus axe volantes
 Sistit equos, tenditque diem, noctemque moratur
 Nunc currum occiduis retro convertit ab oris,
 Deciduasque faces Eoos flectit ad ortus,
 Æneus hastili serpens suspensus in alto
 Virus agit venis, et diros effugat angues.
 Flammigero curru mortali in carne propheta
 Tollitur in cœlum, tantum nec læditur igni
 Cæditur excelso montis de vertice saxum,
 Quatuor et species uno mox conterit ictu,
 Æs, aurum, argentum, et testæ cum fragmine ferrum
 Solvitur, et stipulæ raptatur in æra more.
 Ast lapis ingenti succrescens vertice montem
 Efficit, et vasta totum mole occupat orbem.
 Æstibus horridi flamma exundante camini
 Tres jussu pueri regis traduntur iniqui.
 Angelus almus adest medius fornacis, et auræ
 Roscida flabra jacit, dirimitque incendia vento.
 Illi magnificas gratanti pectore laudes
 Astrorum et terræ referunt pelagique parenti
 Persistunt hilares, ipsoque vocante tyranno,
 Ex medio lætis procedunt vultibus igni.
 Mirantur satrapæ, mirantur barbara corda

A Illæsos crines, illæsa sarabara crines.
 Ac fidei flammis ignes cessisse minaces,
 Terricrepsque focos percussis mentibus horrent
 Undivagus vates cæto sorbente voratus,
 Vitales alto flatus sub gurgite duxit,
 Et tribus exactis triplici cum nocte diebus,
 Integer ad superos imis processit ab undis.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
 Suscipit auctorem, cui servit terra polusque.
 Tu gremio lati projecta cadavera campi
 Anida quæ nudis vestibant ossibus arva
 Carnibus et nervis, et vivo tegmine pellis
 Induis, et prisca refoves nova pectora vita.
 Cerneris ignicomis cœli cum nubibus ire,
 Et populos omnes, linguasque, tribusque tenere.

B Sedibus hinc positis patefacta volumina cordis
 Inspicis, et geminis mortalia dividis oris.
 Hos morti exemptos et vitæ luce coruscos
 Cœtibus angelicis cœlestibus inseris aulis:
 Illos præcipiti flammæ turbine raptos
 Ignibus æternis, atræque immergis abysso
 Illic lætitiæ voces et cantica laudum:
 Hic dolor et gemitus totum resonavit in ævum.
 Hinc me, quæso, reum peccati labe piatum
 Eripe, Christe potens, clementi numine florum.

O virtus æterna Dei, quam machina mundi
 Suscipit auctorem, cui servit terra polusque,
 Sit tibi summus honor, sit gloria, sitque triumphus,
 Sit regnum sine fine manens, sit gratia perpes,
 Mortalis te lingua canat, te cœlica turba
 Personet, et totus in laudem concrepet orbis.

C Te pavidum pectus, te corda trementia, te vox,
 Te pia mens recinat, te viscera tota resultent.

V.

EPIGRAMMA LIBRI HOMILIARUM TOTIUS ANNI
 ex diversorum Patrum tractatibus ordinati.

O prudens lector, vitæ cui cura perennis,
 Perlege præsentem studioso pectore librum,
 Ex veterum dictis collectus denique Patrum,
 Quos probitas, quos reeta fides ad sidera vexit,
 Emicat ac totus doctrinæ iampade fulget.

Pandit luciflui mysteria sancta diei,
 Quo Patris æterni genitum sine tempore Verbum
 Non ex labe viri, sed de virtute Tonantis

Nostræ habitu formæ, dictu mirabile! sumpto
 Sponsus ut e thalamo sic Virginis editus alvo
 Prodiit, et mæsto nova gaudia detulit orbi.

Hæret huic martyr celeberrimus ore corusco,
 Intendens cœlum natumque ex Virgine Christum,
 Ad Patris dextram stantem super æthera cernens,
 Dum sancto plenus spiramine saxea corda.
 Increpat, et lapidum quassatus mole precatur:
 Accipe, quæso, meam, Jesu, rex inclyte, mentem
 Et genibus flexis pro queis tibi supplico, parce.
 Ergo fide clarus doctrinæ fulmine pollens,
 Terribilis signis pretiosa morte sacratus,
 Nominis ipse sui præcelsum munus adeptus,
 Cœlestem sumit parta pro laude coronam.

Martyrii florem sequitur flos virginitatis,

In gremio Christi recubans sacer ille Joannes.
 Maximus æterni præco per sæcula Verbi,
 Quod cum Patre Deo semper Deus omnia fecit,
 Cælum, tellurem, mare, tartara, sidera, ventos,
 Et quæcunque poli gyros complectitur ingens,
 Et quidquid superos excedens incolit axos,
 Proque ipso felix Pathmæi gurgitis exsul.
 Unde repente poli celsa ad fastigia raptus,
 Aurea percussus vidit candelabra septem,
 Inque horum medio dilectum incedere Christum,
 Vestitum poderis sacris, cui zona mamillas
 Aurea præcingens, candentia pectora comit,
 Cæsaris niveo floret veneranda capillo,
 Horribiles oculi flammanti luce coruscant,
 Et facies rutili præfulget solis ad instar,
 Ignitique pedes auricalchi more rubescunt,
 Quo rapida validus fornace examinat ignis,
 Et septem stellis ornatur dextera fulgens,
 Terribilique biceps ensis processit ab ore.
 Corruit hoc viso ceu mortuus. Ille trementem.
 Solatur blando alloquio, dextraque benigna
 Erigit, et cæli sacrata per omnia ducit
 Quæ sacro descripta volumine non capit ullus,
 Ni sacer internam reserat cui Spiritus aurem.

His liber hic laudes infantum ex ordine jungit
 Qui primi ob Christum crudeli sorte perempti,
 Perpetuo Christi nunc regno et pace fruuntur.

Edocet Octavæ quid sectio mystica lucis
 Innuat antiquæ reserans ænigmata legis.

Transit ad egregii solemnia sacra diei
 Quo regis nostri cunabula vilia Christi
 Muneribus trinis pietas venerata Magorum,
 Thure Deum docuit, Regem signavit in auro,
 Mortalemque hominem myrrha depinxit amara,
 Quem sibi sidereus monstrarat ab æthere fulgor,

His sociat clarum numeroso lumine festum,
 Quo tener ad sacri devectus limina templi,
 Turturibus geminis duplici seu prole columbæ
 Divinis placuit conspectibus, ac senis almi
 Complexu astrictus, Judææ gloria gentis
 Et lux totius Christi promittitur orbis.

Inde quater deni nectit jejunia solis.
 Quæ Dominus juncto transegit tempore lunæ,
 Debellans rabidas antiqui dæmonis iras,
 Quem gemini vates totidem pugnando diebus
 Impasti nullo poterant pervincere pacto.
 Ter sese horrendis crexerat improbus armis,
 Ter Christi valida confossus cuspide cessit.
 Unde sacer totum floret mos ille per orbem,
 Vicinis Paschæ solemnibus. in quibus atri
 Gutturæ sæva lupi mactatus perculit Agnus,
 Ut jejuna pari celebrentur tempora voto,
 Et castigato curentur corpora victu,
 Christicolis quibus infesti furor imminet hostis.

Ista salutiferi sequitur laus inclyta ligni,
 Quo veteris mire deleta est cautio culpæ,
 Dum genus humanum vetiti quod tactio ligni
 Perpetuæ mortis dura ditio gravarat,
 Per lignum æternæ recipit nova gaudia vitæ,

A Cum Christus sacras expandens in cruce palmas,
 Adæ dira pio tersit delicta priore.

Eminet hinc veri festum mirabile Paschæ,
 Quod Christus tumulo devicta morte resurgens,
 Ad jugem vitam moribundos transtulit artus,
 Auctorem lethi domuit, lethumque peremit,
 Eripuit priscos erebi de carcere justos,
 Ac secum plures rediviva in carne reducens,
 Ostendit sæcli felicia dona futuri.

Post hæc magnifici præclara ascensio Christi,
 Fulget ad ætherei remeantis culmina templi,
 Quo nec magnus Enoch rapuit quem dextra To-
 [nantis,

Nec sacer Elias curru flammante repente
 Sublatus rapido potuit penetrare volatu;
 Sed potuit Christus, cælo qui sponte supremo
 B Adveniens, ultro mortales induit artus,
 Cum voluit propria in cælum virtute redire.
 Qua patria dexter residet sublimis ab arce,
 Inde sub extremo venturus tempore mundi,
 Angelicis turmis atque ignis turbine septus;
 Supplicium pravis sua præmia reddere justis.

His adnexa nitent clarissima festa superni
 Muneris a Christo promissi ab æthere missi,
 Cum sacer e cælo violenti turbinis instar
 Spiritus exsiliens, credentia corda petivit,
 Discipulisque Dei supra caput igneus astans,
 Multifidis visus flagrare in vertice linguis,
 Accendit tepidos, infirmos robore fulsit,
 Ignaros docuit, linguarum munera fudit.

Hæc super adduntur Patrum pia dicta sacrorum
 C Sanctorum, o lector, claris accommoda festis,
 Ut capiti semper hæcant sua membra superno.
 Ac primum eximius residet Baptista Joannes,
 Ex senio fessis mire genitoribus ortus,
 Vaticanansque prius conceptum Virgine Christum,
 Visceribus matris quam vitæ exiret in auras,
 Quo nullus major mulieris natus habetur,
 Quique Dei mundo monstravit sedulus agnum,
 Et pravum recto commutans limite callem,
 Ostendit cunctis quo tramite celsa polorum
 Regna petant veteris maculis erroris adeptis.
 Inde Petri et Pauli festum prænobile fulget,
 Quos Romæ infausti rabies vesana Neronis
 Ecclesiæ claros fidei pietate magistros.

Doctrina insignes, signorum luce coruscos,
 D Virtute invictos diversa sorte peremit.
 Nam crux ad cælum versi vestigia Petri
 Direxit, Christoque suo revocavit ovantem.
 At cervix Pauli gladio desecta nefando
 Doctorem nitidum vestivit sanguinis ostro,
 Purpureumque polo post prælia mille remisit.

Machabæa dehinc certamina laudibus almis
 Prosequitur stylus, et pulchro sermone perornat,
 Qui septem fratres una genitrice creati
 Antiochi sævas vicerunt fortiter iras,
 Ac post multimodos pænæ bacchantis agones,
 Cælestes cum matre pia meruere coronas,
 Matre piam quæ tunc septeno pignore factam,

Septenoque simul natorum funere torta,
Supplicium prolis obitu comitata beato,
Hebdomadem priscam Ogdoadæ dedit esse novellæ,
Participem regemque ferum pietate subegit.
Nunc præclara suo amplectens diademate Christum,
Septenis rutilat natorum cincta coronis.

Exin martyribus communes dulcis honores
Pagina depromit, Christi quos lota cruore
Palmigeris claros manibus stola candida comit.

His confessorum pulcherrimus ordo cohæret
Quos ardens fidei provexit ad æthera virtus.

Mox et virgineæ resonant ex ordine laudes
Prudenteque chori virtutum lampade clari,
Nec minus interno locupletes semper olivo,
Sidereos intrant thalamos, Christoque jugantur :
Cujus eos dextra, æterno constringit amore.
Hinc etiam sacri quotiens fundamenta templi
Consurgunt, ædesque Deo nova conditur alto,
Tinguitur et tactu divini chrisimatis altar,
Quæ relegenda pius pro tempore postulat usus
Ex veterum dictis vatam collecta sequuntur.

Tum sacer Andræas miri cum laude triumphi
Concinitur Christoque suo jam proximus hæret
Optata cui morte crucis, cui mente fideli
Hæserat, et toto cordis flagraverat æstu,
Non illum fustes, non diri carceris horror,
Non centum fregere minæ, non vincula læva.
Binos ille dies sacri de vertice igni
Intonuit, verbo ætherio mortalia corda
Terrificans, lustransque simul non ipse tyrannus,
Non hunc carnificum fera brachia turbaque præ-

[sens

Amplexu chari potuit divellere ligni,
Donec splendiflua circumdatus undique nube.
Nulli conspicuus mortalis exiit artus,
Fulgidus ad Christum fulgenti tramite pergens.

Adventus Christi præconia fine sub ipso
Terribili sermone tonat quo concitus anni
Circulus almifico Christi deductus ab ortu.
Almificum Christi concurrat semper in ortum.
Nempe hic principium, cunctorum hic finis habetur.
A prior cunctis, Ω cunctis ultimus exstat.

Hæc igitur veneranda Patrum dicta, optime le-

[ctor,

Perlege sollicitus memori sub corde reconde,
Actibus exerce, fido sermone profaro,
Non hic mortifero metuas lita tela veneno,
Nec levibus linguis paleas non pabula fusas,
Totus catholico resplendet flore libellus.
Totus habet gravium certissima dicta virorum,
Hic tibi recta fides claro sermone patebit.
Hic spes certa tuam sustollet ad æthera mentem
Et sincera pium terget dilectio pectus.
Quo ducente fide, locuples spe, purus amore
Conscendas rapido cœlestia regna volatu,

(a) Id est Augustoduni. Nam veteres montem *dunum* appellant.

A Cœtibus angelicis ubi sæcla per omnia junctus,
Perpetuo lætis decantes faucibus hymnos,
Invictamque ferens Christi de munere palmam,
Æterna rutilans ipso tribuente corona.

VI.

AD MODOINUM AUGUSTODUNENSEM EPISCOPUM.

Salve, sancte parens, Christi venerande sacerdos,
(a) Augusti montis, pastor in arce potens.

Quem sacer illustrat meritis splendentibus ordo
Doctrinæ et studium tollit ad alta pie
Quo generis clari lumen torrensque loquendi
Vincitur, et magno sidera sole latent.

Accepi niveam vestro de munere vestem
Tergendoque ori lintea clara satis.

Ac pariter manibus prædulcis epistola nostris
B Tradita rore suo pectora nostra rigat.

Quantus ibi flagret sinceri fervor amoris.
Et pia mens quanta luce corusca micet.

Quæ tuba, quæve lyra flatu fidibusque canora
Explicit, et digna laude ciere queat?

Non mihi tam fervens vegetat præcordia sanguis.
Nec tam larga meo flumina ab ore fluunt,

Ut tibi, sancte parens, pie vates, clare sacerdos,
Condigne valeam solvere laudis opus.

Ille pius cœlique parens terræque repertor
Agminis angelici rex, hominumque sator,

Cujus clara pio sequeris vestigia corde,
Dum celsus humilem respicis, atque foves.

Ille tuis, inquam, meritis condigna referre
Prævalet, ac frugem centuplicare tuam :

C Ut quod nunc large dispergis semine terris,
Largius Elisia tunc regione metas.

Interea sit vita tibi, sint larga salutis
Gaudia, longa dies, altus honoris apex.

Divinæ sit legis amor, tuba clara docendi,
Egregii mores, cor probitate nitens.

Grex tibi commissus vigeat, torvique leonis
Sæva fide fortis guttura calce terat.

Ut cum cœlesti vallatus milite summus
Pastor ab excelsi fulserit axe poli,

Tum bene servatis ad dextram te locet agnis,
Restituens studiis præmia digna tuis.

Tunc velut electus aries in nube corusca
Velleris aurati stemmate clarus eas.

Quem niveæ comitentur oves agnique nitentes,
Sumpturi vitæ pascua perpetuæ.

D

VII.

TITULUS IN ABSIDE MEMORIÆ SANCTI JUSTI.

Christi sancta domus, præpollens aula piorum
Hospita sanctorum, virtutum sedula mater,

Hæc est quam cernis semper, ubi rite precanti,
Gratia larga patet per tot cumulata patronos.

Quos propriis titulis distinguit gloria consors.
Convexo varia rutilant ceu sidera cœlo.